

cum primis ubi fidei contradistinguitur, juxta canonem GERHARDI: Quando pœnitentiæ tribuitur effectus remissionis peccatorum, gratiæ Divinæ, aversionis vel mitigationis pœnarum, vitæ & salutis æternæ, non tamen diserta fit mentio fidei, in illis dictis pœnitentiæ nomine totum conversionis opus intelligendum est. Vicissim quando fides in Christum pœnitentiæ disertis verbis adjungitur, tunc pœnitentiæ nomine altera pars illius tantum, videlicet contritio intelligitur. Quanquam dissimulare non possim SEBAST. SCHMIDIVM, Theologum gravissimum non vereri in his ipsis oraculis, ubi pœnitentiæ fidei contradistinguitur, significationem non retinere μερικὴν sed ὀλικὴν. Nihil enim ipsi impedire videtur, quo minus in dicto: *Facite pœnitentiam & credite evangelio. Marc. 1, 15.* non dicatur contradistingvi partem parti, sed partem toti, ita ut hoc primo ponatur & deinceps pars, velut medium ad salutem proportionatum, subjungatur. *Colleg. Bibl. N. Test. p. 261. sq.* Malunt tamen pii Confessores primæ notioni, nempe μερικὴν ibi locum dare *F. C. L. V. p. 711.*

§. X. Quando igitur conversio completa perficitur a Spiritu S. in corde hominis cujuscunque, atque sic poenitentia, ὀλικῶς accepta, producitur, simul regeneratio stricte sumpta peragitur, & fides datur atque accenditur, ut adeo conversionis ὀλικῶς acceptæ itidem *actus duplex* constitui possit, vicissim vero, ubi μερικῶς sumitur, nihil aliud denotat, quam *contritionis veræ & genuinæ productionem.* In qua ipsa sanctissima operatione Spiritus S. ita procedit, ut nunc nudum horrorem de peccato, etiamsi specificè nondum cognito, eum tamen serium verumque, excitet, *absque actu* tamen reflexo, tum intellectus, tum voluntatis, *attentione ad se ipsum* vel aliis ejusmodi actibus, quæ ex usu rationis simul promanant: nunc vero talem dolorem, qui oritur ex accurato scrutinio sui ipsius, adeoque *actu intellectus reflexo*, & se per externa indicia satis conspicuum reddit. Di-

C

stin-